UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Annus Cisterciensis

In quo Pia, Et Brevi Apostrophe proponuntur Veneranda, & Imitanda Gesta præcipua, & eximiæ Virtutes Sanctorum ac Beatorum utriusque sexûs Ejusdem Sacri, Et Ab Origine Sua Exempti Ordinis

Meglinger, Joseph

[S.l.], Anno MDCLXXXII.

26. Maij. 7. Cal. Jun.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45295

Visual Library

S. BERNARDUS, ſer. 57. in Cant.

Omnis ſermo pius eſt utilis.

Nullius omnino ſermo, qui ædificat ad pietatem, ad virtutem, ad mores optimos, negligenter eſt audiendus, quoniam & illic iter, quo oſtenditur ſalutare Dei.

26. *Maij. 7. Cal. Jun.*

Obijt anno 1179.

B. HENRICE, Ludovici VII. Galliarum Regis frater germane: qui cùm ſanctiſſimum Abbatem BERNARDUM ſuper quibuſdam negotijs aliquando conſuluiſſes, & ex Claravalle receſſurus te Congregationis illius ſanctæ precibus commendares; vaticidico ſpiritu verba tua excipiens admirabilis ille Theodidactus: *In brevi,* ſubjunxit, *experimento proprio probabis, quantum tibi iſtorum proſit oratio.* Nec diu dilata eſt vaticinij veritas. Repente enim amore divino, ac rerum terrenarum faſtidio incaleſcens, eâdem die ſacri ordinis habitum humillimè petijſti: obtentum, non vulgaribus, ſed ſanè regijs virtutibus exornâſti. Adeò ut cùm aliquot pòſt annis ad Inſulas Bellovacenſes vocareris; renitentem tuam

Orationis vis.

tuam ac BERNARDI humilitatem magnus ille Petrus Cluniacenſis, inter alia elogia tua, his verbis ad conſenſum inducere conabatur. [Si vitæ meritum quæritur, magnum eſt. Quomodo enim non magnum eſt, cùm de tanto tantillum ſe fecerit? Cùm regij ſanguinis, ut ſic loquar, ſuperbiam tam robuſto humilitatis pede calcaverit? Cùm luxus, & pleno cornu fluentes mundi delicias, tormentis innumeris, & mille mortibus commutaverit? cùm undique arridentem mundum irriſerit? cùm abnegans ſemetipſum, & tollens crucem ſuam, Chriſtum morientem ſecutus fuerit?] In illa autem dignitate docendo, & magnarum virtutum exemplis prelucendo, inſignem coram DEO, & hominibus gloriam adeptus es. Eras enim vir miræ continentiæ, & voluntariæ paupertatis ſtudioſiſſimus: in pauperes munificus; in hoſpitibus colligendis humanus, ac liberalis. Nulla tibi familiaritas magìs cordi fuit, quàm cum viris ſanctitate, & doctrinâ claris.. Tandem ad thronum Archiepiſcopalem Eccleſiæ Rhemenſis evectus, propiùs nempe cœlo admotus es; quod octennio pòſt ſanctis operibus ornatiſſimus conſcendiſti. *Tu quidem, cùm monaſticam cucullam* *indue-*

Elogia regnũ terrenũ deſerẽtis.

Epiſcopi virtutes.

indueres, ſpretâ regis fratris indignatione, ſoli Chriſto regi placere ſtuduiſti. Fac ut & ego pluſquam regiam Dei majeſtatem ita timeam offendere, ut potiùs vitæ, ac totius mundi jacturam facere paratus ſim, quàm in ullum peccatum conſentire.

Fuga peccati.

S. BERNARDUS, ſer. 16. in Cant.

Si reum regiæ majeſtatis, quamvis humanæ, humanis legibus plecti capite ſancitum eſt: quis finis contemnentium Divinam Omnipotentiam erit?

Peccatum eſt crimen lęſę majeſtatis Divinę.

27. Maij. 6. Cal. Junij.

B. RODOLPHE, Converſe monaſterij de Luka: cujus ſimplicem pietatem varijs revelationibus Divina bonitas conſolari dignata eſt. Cæteris jucundior illa fuit, quę tibi poſt vigilias nocturnas ad diurnos labores egreſſuro, & inter preces auroram expectanti, apparuit. Pendebat coram te in ligno Crucis ſuæ ſublimis, ac pretioſiſſimo ſanguine ſuo rubens Sol Juſtitiæ; ejus latera hinc inde cingebant quindecim alij, pariter ſuffixi crucibus, & meridiani ſolis inſtar fulgentes. Quos omnes

Floruit anno 1221.

Clarus revelationibus.